



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. VI. An Leges seu Constitutiones Canonicæ vel Civiles obligent etiam  
ignorantes?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

tia populi, per actus legi contrarios in numero sufficiente, juxta arbitrium prudentium positos; cum Princeps, quamvis ignoret subditorum non usum, semper tamen censeatur habere illam voluntatem: quod nolit obligare, contra morem, seu usum populi. *Argu. c. 1. de consuet. in 6.* & virtualiter illam legem revocare censeatur, quæ facta est populo inutilis.

## §. VI.

*An Leges seu Constitutiones Canonica vel Civiles obligent etiam ignorantes?*

**R**esp. I. Ignorantes invincibiliter legem promulgatam non obligari (in actu secundo) ad legis talis observacionem *Argu. c. 2. h. r.* (ubi enim invincibilis ignorantia, non potest committi culpa, cum ignorantia tollat voluntarium, ad omnem culpam requisitum) nisi lex esset præcisè irritans v. g. actum aliquem, certam præscribens formam &c. quo in casu contra talem legem præcisè irritantem factus actus nullus esset, quamvis cum invincibili ignorantia positus fuisset, cum irritatio talis non sit pœnalis culpam supponens, sed statuens certam formam pro bono communi.

*Resp. II.* Statutum etiam esse de jure Canonico *in c. 2. h. r. in 6.* ut sententiis quibuscunque (quæ animam ligant, censuris v. g.) non ligentur ignorantes, nisi crassa aut supina fuerit eorum ignorantia; non tantùm bono animatum exigente taliter non ligari ignorantes tales, sed ipsâ etiam censurarum naturâ, quæ non incurri solent, nisi à contumacibus, ubi autem est ignorantia invincibilis, ibi contumacia locum non habet.

## §. VII.

*An Lex vel Statutum obliget subditos extra territorium statuentis existentes?*

**R**esp. Non ligari subditos statutis aut legibus, si extra territorium statuentis existant *c. 2. §. Statuto h. r. in 6.* (cum nemo possit extra terminos suæ jurisdictionis eam extendere) & consequenter puniri non possunt, si extra territorium statuentis contra statuta illius faciant (cum *extra territorium jus dicenti impunè non pareatur*) nisi persona quidem extra territorium existat, actio verò, quæ ponitur aut omittitur, in ipso territorio poni aut omitti censeatur; vel res circa quam fit operatio, in ipso territorio existat; vel denique bonum & commodum ipsius territorii principaliter respiciat statutum tale, ut contra agens graviter illud lædat: His enim in casibus etiam extra territorium existentes, & contra statutum in suo territorio latum operantes delinquent; & pœnam in territorio statutam incurrunt Beneficiati, à suis Ecclesiis longiore tempore absentes, quam per statutum sui territorii liceat (cum residentiam omittant ibi, ubi Beneficium habeat) & qui extra territorium existentes, delictum quidem extra illud inchoant, intra illud tamen consumant, sagittam v. g. emittendo extra territorium, occidendo tamen hominem in ipso territorio existentem; & quibus prohibetur ob bonum Patriæ, extra territorium negotiari, frumentum exportare, cum hi non censeantur simpliciter extra territorium delinquere.

B 3

Resp II.